

*vermis* eras *coccineus* & *non homo?*) muliebri consuetudine atque cheirurgicâ patientiâ eluerunt, porro aromatibus preciosissimis in unguenti formam redactis delibutissimum reddiderunt: cumq; sindoni mundæ involvendum foret, caput sudario obnuptum, pedes autem decenter contecti fuere atq; compositi. Unguentis itaq; *aloe* nempe & *stacte myrrbarum*, affectûs produnt constantiam, *pondere* verò & *copiâ* divitiarum abundantiam: Non sepeliunt, scripsit *Chrysofostomus*, ut condemnatum, sed sumtuosè tanquam magnum aliquem & admirabilem, Idq; prophetico spiritû ante multa sæcula prædixerat *Jesaias* (5). Ne ergo luxum interpretemur sumtuosiorum aut liberalitatem ex quâdam patriæ profusione inveteratam, *fides* intercedit & *dilectio*, ut commendetur in *affectu*, quod vituperandum erat in *excessu*. Ah quàm rari hodie sunt, qui propter *Te*, dilectissime Redemptor, omnes suas fortunas in discrimen adducant, quum excommunicationis fulmina & bonorum direptionem toto corpore & animo metuant atq; exhorrescant

Uch Herre! thuet euch uunderschreiben /

Das wir bey unsern Güttern bleiben.

Alij erant *Nicodemus* & *Josephus*: testabantur enim se honorificentissimè de *Te* sentire, qui longè majora præmia & præstantiora officia Tuâ doctrinâ & miraculis ab illis promeruisses, proinde ita quoq; sepeliunt, quomodo honoratissimi & spectatissimi apud ipsos viri consueverant funerari. Si verum est, est autem longè verius vero, quod dixisti, ô os veritatis *ἀδολογ*, *Quisquis* (6) *reliquerit domos aut agros propter nomen tuum, accepturum esse centuplum, vitæq; æternæ hereditatem sortiturum, Teq; daturum hereditatem timentibus* (7) *nomen tuum*, quomodo non pro *myrrbâ* acerbâ & *aloe* amarissimâ dulcissima vitæ æternæ *mella* plenis faucibus haurient & torrentibus *voluptatum* perpetuarum potionabuntur hi pollinctores? Quomodo non pro *auro* suo

(5) cap. LIII, v. 9, (6) Matth. XIX, 29; (7) Psalm. LXI, 6: [20 (3)]